



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

Cap. XLII. De Foro Capitolino, seu Judicio Senatoris, & Conservatorum
Urbis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

CAPUT XLII.

De Foro Capitolino, seu Iudicio Senatoris, & Conservatorum Urbis.

1. Foro Capitolino præest Senator Urbis, & sub se habet tres Senatores Collaterales.
2. Senatoris habitus, locus in Capella, & reditus.
3. Opificia & artes sua quoque habent iudicia, in quibus Iudices sunt Consules eorum.
4. Conservatores urbis eliguntur tres.
5. Eorum officium.
6. Prior Capitem regionum eligitur à Papa, ejus vestitus & locus in Capella Pontificis.
7. Paucæ cognoscuntur causæ in hoc Iudicio civiles
8. Et criminales. Cur hoc?

I.

PRÆter Congregationes & Tribunalia hætenus enumerata est Romæ Forus Capitolinus, cujus duæ sunt partes; Uni incumbit civilis civitatis ejusque ærarii administratio; Altera administrat Justitiam, & cognoscit causas tam civiles, quam criminales Populi Rom. & Incolarum Urbis. Huic Foro præficit Pontifex per Breve Prætorem, qui usitato

no-

nomine *Senator* dicitur. Hic residet in Capitolio & habet sub se tres alios *Senatores inferiores*, quorum duo in causis civilibus sententiam ferunt, & unus dicitur *Primus*, alter *Secundus Collateralis*. Tertius causas criminales cognoscit. Quod si quis ab horum *Judicum* sententia velit provocare, constitutus est in Capitolio peculiaris *Judex Appellationis*, qui si conformem ferat sententiam Superiori, non datur ad ullum alium appellatio.

2. Senator in actibus publicis compareret semper vestitus habitu Senatorio serico & auro intertexto vulgo *Brocato* ad terram usque defluente cum manicis longis more antiquorum Romanorum. Locum quoq; habet in Capella Pontificis infra Legatum Imperatoris; Quamvis ab aliquo tempore, ut refert Lunadoro, in ea non compareat ob loci competentiam cum *Alegatis Regiis*. Nunquam ad hoc *Officium Romanus* assumitur à Pontifice, sed semper extraneus, & ut plurimum *Jurium Doctor*. Habet pro reditu annuo duo millia *Scutorum*. Quotidie adit Pontificem ejusque *Nepotes* in vestitu nigro Senatorio, & rationem reddit sui *Tribunalis*.

3. Sunt præterea in Capitolio singularia
quæ

quædã Subsellia, in quibus opificia & artes
ut sunt Mercatorum, Merciariorum, Aro-
matariorum, Pannariorum aliorumque
plurimorum Artificum, quorum in pen-
sili tabula sunt descripta nomina sub
porticu, ex his singulæ tribus suum sibi
eligunt Consulem; Quæ velut tribuni-
cia immunitas cum jurisdictione & indul-
tis civibus concessa est & confirmata
per diversos Pontifices Martinũ V, Pau-
lum III, Julium III, Pium IV, Grego-
rium XIII. *Const. Almam urbem* aliosque;
Sunt vero Consules Judices competen-
tes in causis ad artem cujusque tribus
spectantibus. *Martin. V. Const. 6. Sixtus V.*
Const. 14. Quod si homotechni Sociique
tribus suæ Consules gravari sentiant,
rem deferunt ad Conservatores Urbis;
Ad quos etiam provocare possunt Ar-
tifices à sententiis suorum Consulum.

4. Sunt hi *Conservatores Urbis* tres
numero, qui omni trimestri novi eli-
guntur à populo ex nobilitate Roma-
na coram Pontifice, ejusque Cardina-
libus Nepotibus & Card. Camerario.
Electi altero subinde die consuetum præ-
stant Pontifici Iuramentum, & primo
Mense datur ipsis possessio in Capitolio à
Senatore. In hujus Capitolii Palatio
unus

unus

unus eorum semper residere tenetur, nimirum Primus primo Mense, Secundus secundo, Tertius tertio. *Pius IV. Const. 58. Cum ab ipso §. 26.*

5. Officium illorum & jurisdictio est curare ut custodiantur antiquitates Romanæ, observentur leges & statuta, coerceantur & puniantur Pistores, Laniones, Salsamentarii, Olitores aliique victualia vendentes, si excedant in precio, aut justo pondere & mensura non utantur, ut Urbs omnibus ad victum necessariis abundet. Hæc ut majori fide exequantur, nulla acceptare possunt munera, nec esculenta quidem & poculenta *Pius IV. l. c.* Sunt etiam Judices Ordinarii omnium appellationum à Consulibus artium & agriculturæ; Curam habent murorum, & aquæductuum; deputant Officiales & Ministros per loca ad populum Romanum spectantia. Habent procurationem Camerae Populi Romani; Notarium & Fiscum, atque multos etiam Apparitores cum Capitaneo.

6. Præter tres Urbis Conservatores est etiam *Prior Capitem Regionum*. Sunt Capita Regionum quatuordecim pro numero Regionum, in quas Urbs distincta

stincta est. Olim hæc capita, accepta possessione per Senatorem, eligebant in Sacristia Templi Ara-Cœli dicti, è numero suo Priorem; Nunc vero nominat eum Pontifex, ut assistat Conservatoribus in Administratione justitiæ, cæterisque actibus publicis. Omnes hi quatuor vestiuntur habitu Senatorio antiquo, & locum habent in Capella supra Camerarios Secretos, sedentque in gradibus Throni Pontificii. Singuli quoque habent quatuor pedissequos ex arario publico vestitos Holoferico rubro auro variegato.

7. Quamvis vero Judicium hoc Capitolinum sit proprium magisque competens Civium & Incolarum Urbis, pauca tamen eæque leviores causæ Plebis ad hoc Tribunal pertrahuntur, tum quia causæ plerumque concernunt etiam Clericos aliasve personas privilegiatas, ob multitudinem earum in Urbe, quæ trahi non possunt ad Tribunal purè sæculare, tum quia Partes adeunt Tribunal Auditoris Camerae, quod plerasque causas civiles in prima instantia decidit.

De Luca Rel. Rom. Cur. disc. 37.

8. In criminalibus quoque etiamsi hoc Tribunal tam in Urbe, quam in distri-
ctu

etuejus, non secus ac in civilibus cumu-
 lativâ habeat Jurisdictionem etiã in pri-
 ma instantia cum Judicibus ordinariis, ut
 præventio inter illos locum habeat,
 ideoque propriam alat familiam arma-
 tam cum Barisello, propriumque habeat,
 ut diximus Cap. 40. carcerem, nihilo-
 minus paucæ admodum causæ in hoc
 Tribunali cognoscuntur, tum ob fre-
 quentiam in Urbe eorum, qui ab eo
 exempti sunt, tum quod Gubernator
 plerumque vel ob majorem vigilantiam
 illius Tribunalis, majoremque copiam ac
 peritiam Judicum & Notariorum, vel
 ob ampliorem familiam armatam, nu-
 merumque exploratorum, quos adhibet,
 prævenire soleat. Atque hæc pro noti-
 tia præcipuarum Congregationum, &
 Tribunalium hoc tempore in Urbe
 vigentium dicta sint
 satis.

Ad DEI Deiparæque Virginis
 Gloriam & Honorem.

INDEX